

reuses, et de s'y affectionner, cela est encore plus dangereux. Je dis doncque, Philothée, qu'encore qu'il soit loisible de jouer, danser, se parer, ouyr des honestes comédies, banqueter, si est-ce que d'avoir de l'affection à cela, c'est chose contraire à la dévotion, et extrêmement nuisible et périlleuse. Ce n'est pas mal de le faire, mais ouy bien de s'y affectionner (*Introduction à la vie dévote, 1^{re} partie, ch. 23*).

Nostra igitur doctrina, circa saltationes et spectacula, à principiis, quae tantus magister in pietate tradebat, non recedit.

Quæritur quid sentiendum sit de professione et spectaculis histrionum.

R. Circa histriones eorumque spectacula hæc habet S. Thomas, 2, 2, q. 168, art. 3 ad 3^{um}: *Ad omnia autem quæ sunt utilia conversationi humanae, deputari possunt aliqua officia licita. Et ideo etiam officium histrionum, quod ordinatur ad solatium exhibendum hominibus, non est secundum se illicitum: nec sunt in statu peccati, dummodo moderatè ludo utantur, id est, non utendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis..... Undè illi qui moderatè eis subveniunt, non peccant, sed justè faciunt, mercedem ministerii eorum eis tribuendo. Si qui autem superflue sua in tales consumant, vel etiam sustentent illos histriones qui illicitius ludis utuntur, peccant, quasi eos in peccato foventes.*

Alii theologi huic sententiae S. Thomæ generaliter subscribunt, advertentes hujusmodi

homines saepius, nunc præsertim, sine fide et moribus sese exhibere. Si autem professio histrionis per se non sit illicita, à fortiori vel nullum, vel saltem non mortale est peccatum ludos histrionum, per se non turpes nec proximo nocentes, ex curiositate aspicere. Nec similiter spectaculis nonnullorum brutorum, v. g., equorum, adesse. Attamen cavendum ne aliquod præbeatur scandalum, quod fieret communiter, si religiosus, monialis, vel clericus secularis talibus ludis adasset, præsertim coram laicis, aut si quid minùs honestum fieret, vel ludentes periculum vitæ incurrerent, ut non raro in ludis equorum accidit.

CAPUT QUINTUM.

DE CAUSIS, EFFECTIBUS ET REMEDIIS LUXURIAE.

§ I. — De causis luxuriæ.

Præcipuae et frequentiores causæ peccatorum luxuriæ sunt:

1º Intemperantia in escâ et maximè in potu: *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens* (*Prov. 20. 1.*); *Nolite inebrari vino, in quo est luxuria* (*ad Eph. 5, 13*). *Appendices gulæ, lascivia et luxuria* (*Tertul., lib. de Jejun.*). Experiencia autem continua hanc doctrinam confirmat.

2º Otiositas quæ multam malitiam docuit (*Eccl. 33, 29*), nimius somnus, lecti mollities aut calor, ludi, oblectationes et deliciæ vitæ.

3º Familiaritas inter personas diversi sexus, etiam sub praetextu matrimonii, aspectus, tactus, amplexus, colloquia tenera, juxta haec Ecclesiastici verba, 9, 11 : *Speciem mulieris alienae multi admirati, reprobi facti sunt; colloquium enim illius quasi ignis exardescit.*

4º Chorea, comoediæ aliaque spectacula profana, lectiones librorum obscenorum et romanensium, turpiloquia, cantilenæ amatoria, ornatus immodesti vel superflui, frequentatio tabernarum : haec omnia castitatis morituræ sunt indicia, juxta verba Tertull.

§ II. — De effectibus luxuriae.

S. Thomas, post S. Gregorium, octo nominat filias luxuriae, 2, 2., q. 153, art. 5, quæ sunt: ex parte intellectus, 1º *Cæcitas*, cuius terrible extitit exemplum in ipso Salomone; 2º *præcipitatio*, quæ homo, sine deliberatione et consilio, ad incongruentia rapitur; 3º *inconsideratio*, quæ facit ut quispiam male judicet de fine sibi proponendo vel de medio ad illum assequendum idoneo; 4º *inconstantia*, undè luxuriæ deditus *vult et non vult*, sicut piger (*Prov. 13, 4.*), et in proposito melius vivendi communiter non persistit.

Ex parte autem voluntatis, filiae luxuriae à S. Thomâ assignatae, sunt 1º *amor sui inordinatus*, quo libidinosus finem ultimum in voluptatibus carnis constituit, et omnes cogitationes suas ad eas assequendas dirigit; 2º *odium Dei*, qui peccata castitati adversa-

prohibet poenisque gravissimis punit; 3º *affectus præsentis seculi*, in quo sitæ sunt voluptates quas velut finem suum exoptat luxuriosus; 4º *horror futuri seculi*, ubi scit delectationibus obscenis se privatum iri, et loco earum cruciatus acerbissimos subiturum. Ille horror producit desperationem felicitatis æternæ, quia impossibile videtur à voluptatibus terrenis recedere; qui autem sic desperati sunt, in omne genus obscenitatum proruunt. Unde B. Paulus, ad Eph., 4, 19: *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunitatiæ omnis*, et David; Ps. 9, 26: *Non est Deus in conspectu ejus: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Quasi diceret, inquit Sylvius, t. 3, p. 821, postquam timorem et reverentiam Dei abjecit, vitam ducit impurissimam.

Præter hos effectus, alii sunt corporales, quos suprà indicavimus, p. 70 et seq., et insuper horribilis morbus venereus, à Venere sicutus, quia abusum delectationum venereum sequitur.

§ III. — De remediis peccatorum luxuriae.

Primùm necesse est ut tollantur causæ peccatorum luxuriae, quas suprà exposuimus. Prætereà, hæc maximè præscribi debent remedia, scilicet 1º frequens ac fervens oratio: *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det....., adii Dominum et deprecatus sum illum* (*Sap. 821*); 2º lectio librorum piorum, meditatio passionis Christi, recordatio æterni-

tatis et præsertim suppliciorum quæ in alterâ
vitâ libidinosis reservantur : *In omnibus ope-
ribus tuis memorare novissima tua, et in æter-
num non peccabis (Eccl. 9, 40.)*; 3º non nutrire
corpus delicate vel copiose : *Hæc fuit iniquitas
Sodomæ ; superbia, saturitas panis, et abun-
dantia, et otium ipsius (Ezech., 16, 49)* ;
4º custodia sensuum, maximè visus : *Virginem
ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore
illius (Eccl. 9, 4)* ; 5º fuga otii et sollicita occa-
sionum devitatio : *Qui amat periculum in illo
peribit (Eccl. 3, 27)* : caveant igitur parentes
ne pueris diversi sexus, etiam fratribus et soro-
ribus, communem permittant lectum ; expe-
rientiâ enim constat hoc perniciosum esse
castitati ; 6º carnis macerationes et jejunia ;
contraria enim contrariis curantur : *Hoc autem
genus (dæmoniorum) non ejicitur nisi per ora-
tionem et jejunium (Math. 17, 20)* ; 7º eleemo-
synæ et alia charitatis opera, quibus uberiores
gratiæ à Deo impetrantur ; 8º frequens et
devota sacramentorum Poenitentiae et Eucha-
ristiæ susceptio ; 9º fidelitas in revocandâ Dei
præsentia ; 10º resistantia primis voluptatum
illecebris, avertendo cogitationem ad aliquod
objectum præsertim sanctum : *Resistite diabolo,
et fugiet à vobis (Jac., 4, 7)* ; 11º prudentis
confessarii et, quantum fieri potest, ordinarii
consilia; suggesteret enim poenitenti remedia infir-
mitati ejus proportionata et tentationi vin-
cendæ magis idonea.

FINIS.

SUPPLEMENTUM

AD

TRACTATUM DE MATRIMONIO.

Plurimæ sunt quæstiones gravissimi momenti
et usûs quotidiani, ad tractatum de Matrimonio
pertinentes, quas in publico theologiæ cursu
tractari prudentia non sinit: cùm à sacerdotibus
formidandum onus regiminis animarum suscep-
tur ignorari non debeant, eas diaconibus
nostris proponere et explanare solemus : ad
duas generatim revocari possunt, quarum
1º de impedimento impotentia, et 2º de debito
conjugal.

QUÆSTIO PRIMA.

De impedimento impotentia.

Hæc materia est foeda, pudibunda ac sæpè
periculosa : quæ circa illam, cogente necessi-
tate, dicturi sumus, nunquam legi debent, nisi
ex motivo puro rectoque fine, nempè ut lepra
à leprâ prudenter secernatur, aptum remedium
malo applicetur, sapiens consilium detur, et
anima à coeno vitii turpis retrahantur, vel ab
illo removeantur. Ferè semper aliquod existit
periculum in hujusmodi studio : sed qui ex